

ANTOLOGIA

B R E V E
AD FAVOREM BIBLIOTHECARUM.
CLEMENS PAPA XI.
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Conservationi, & manutentioni librorum Bibliothecarum Domorum Regularium Fratrum Ordinis Sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Portugalliae, quantum cum Domino possumus benignè consulere, ac Dilectum filium modernum Procuratorem Generalem in Romana Curia dictae Congregationis specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris, & poenis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cetero quisquam, sive saecularis, sive cujusvis Ordinis Regularis etiam auctoritate officio, & superioritate fungens, Libros, Quinterna, Folia sive impressa, sive manuscripta, tam hactenus dictis Bibliothecis donata, comparata, & assignata, quàm in posterum donanda, comparanda, & assignanda sub quovis praetextu, ingenio, causa, colore, ratione, aut occasione è Domibus Regularibus, & saecularibus, quacumque auctoritate fungentibus commodare, donare, vel alio quovis modo distrahere, & alienare, seu ut extrahantur, & asportentur, aut commodentur, donentur, distrahantur, & alienentur permittere, aut consentire audeat, seu praesumat sub excommunicationis, ac privationis vocis activae, & passivae poenis per contrafacientes eo ipso incurrendis Apostolica auctoritate tenore praesentium interdiciamus, & prohibemus. Permittentes tamen Superioribus dictarum Domorum Regularium pro tempore existentibus, ut de licentia Definitorii Generalis, vel annualis praedictae Congregationis aliquos ex libris praedictis Fratribus ejusdem Congregationis, etiam in aliis Domibus commorantibus, cum cautelis tamen necessariis, ac Inventario à Prioribus, & Discretis suarum respectivè Domorum subscribendis ad tempus determinatum commodari possint, quo elapso ad suas quasque Domos reportari, suisque Bibliothecis restitui sub eisdem poenis debeant: Non obstantibus Constitutionibus, & Ordi-

nationibus Apostolicis, ac Domorum, & Ordinum praedictorum, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliàs roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod praesentis prohibitionis copia in valvis cujuslibet dictarum Bibliothecarum, vel alio conspicuo loco, quo ab omnibus cerni possit continuo affixa remaneat; quodque praesentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae, vel Procuratoris Generalis Congregationis hujusmodi munitis eadem fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die xxiii. Januarii m. dcc. xxi. Pontificatus Nostri anno vigesimo primo. ̄ F. Card. Oliverius. ̄

Concordat cum suo originali.

Joannes Dom.^{cus} Manitto, Publicus Not. Apost.^{cus}
Fr. Emmanuel à S. Elisabeth, Procurator Generalis.